



Jc 1925



acc 516.

516 acc

IV, K, 4



4



NONNULLA
MATTHAEI ET MARCI
ENUNCIATA

EX INDOLE LINGVAE SYRIACAE EXPLICANTVR

ADDUNTUR

OBSERVATIONES QVAEDAM

IN HISTORIAM VTRIVSQVE EVANGELII.

PROLVSI

QVA SCHOLAS SVAS

DEO O. M. ANNVENTE

DENVO APERIENDAS INDICIT

JACOBVS GEORGIVS CHRISTIANVS ADLER

PROF. PUBL. EXTRAORD.



HAVNIAE,

EXCUBEAT NICOLAUS MÖLLER, AULAE REGIAE TYPOGRAPHUS.

MDCCLXXXIV.

108.



Cum anno praeterito, commilitones ornatissimi, pro munere in me collato praecepta linguae Syriacae ita vobis tradere deberem, ut huius linguae peritiam ad librorum sacrorum studium in primis referrem: hoc praecipue meditabar; qua ratione et ipse maiorem indies fructum ex hoc consilio atque instituto meo capere, et vobis plurimum utilitatis afferre possem. Ingratum fore laborem putabam, si Syriacam N. T. versionem explicaturus nihil aliud mihi proponerem, quam memoriam centenae vocabulis peregrinis onerare. Neque vero versiones ex aliis linguis factae satis idoneae mihi videbantur, ut ex iis linguae indoles penitus intelligeretur. Maiorem ad criticum sacrorum librorum studium utilitatem afferre versionem Syricam, ob summam antiquitatem maximi faciendam, ex tot doctorum virorum conatibus, qui hoc munus susceperunt, facile intelligebam: sed ne eo quidem acquiescere potui, existimans, vos maiora a me, optimi adolescentes, non expectare tantum, sed etiam exigere posse. Ipsam igitur horum librorum interpretationem cum critico eorum studio, quo variarum lectionum gravitas et bonitas aestimatur, coniungere atque ad eam inter-

pretationem N. T., Syriacam in primis versionem conferre instituebam. Si enim libri sacri, quos graeco sermone scriptos legimus, ab hominibus compositi, quibus Syriaca dialectus vernacula fuit, iisque eruditione non praeclaris, characterem orationis Syriacae nimis diligenter servant puritatemque omittunt: ex Syriaca lingua et versione usum loquendi rectissime intelligi, multaue obscura hac sola ratione illustrari posse videntur. Quo consilio cum Evangelia Matthaei et Marci Syriaca anno elapso interpretatus sim, nunc mihi concedatis velim, ut quasi repetitione quadam instituenda, ea loca ubi ex Syriaco Graecis Evangeliiis lumen aliquod afferri videbatur, in memoriam vobis revocem, additis animadversionibus quibusdam, quae ad hanc rem illustrandam pertinent. Plurimae enim harum obscuritatum graeci textus ita comparatae sunt, ut versionis potius indicia ferant, quam e peregrinis loquendi modis in graecam veritatem illatis oriundae videantur, de quo tum recte iudicari potest, si prius examinata sunt ea, quae in forma orationis duriora et impeditiora reperiuntur.

Primum multae in Evangeliiis Matthaei et Marci leguntur voces Syriacae. Ad harum numerum pertinent *Raka* et Γεεννα του πυρος Matth. V. 22. *Μαμμωνα* Matth. VI. 24. qua voce ܠܘܠܘܒܘ divitias significant Syri, *Σιμων βασιωνα* Matth. XVI. 17. *Τιμαιος βασι* *Τιμαιος* Marci X. 46. et in primis verba Jesu moribundi *ηλι ηλι* vel apud Marcum *Ελωι Ελωι*, *λεμο σαβαχθανι*, quae Syriaca sunt ܠܘܠܘܒܘ ܠܘܠܘܒܘܐܢܝܐ ad graecae linguae indolem conformata. Carent enim Graeci
sono

sono & littera *b*, ideoque vocem Alohi vel Elohi alio modo eloqui vel scribere non possunt, quam *αλι, ηλι, ελωι* ¹⁾.

Sed haec levia. Pergamus ad alias voces formulasque, quae Graecae quidem originis esse videntur, sed Syriacae tamen linguae, de qua arcessitae sunt, ingenium redolent.

In his praesertim examinanda formula βασιλεια των ουρανων in Evangelio Matthaei obvia, quam a multis interpretibus vage et temere explicatam video. In veteris Testamenti vaticiniis nihil frequentius laudatur, quam spirituale, quod Messiae tribuitur, regnum, regnum promissionis, maioribus pollicitum et a Prophetis paullatim obscurius et clarius explicatum, cuius spiritu totum horum librorum aedificium, ut ita dicam, repletum animadvertitur. Transfertur haec formula ad divinam, quam Jesus fundavit, religionem, et hoc sensu ubique, semper, ne uno loco excepto, in Evangeliiis usurpari mihi quidem videtur. Si igitur Jesus, ut paucis exemplis hanc sententiam confirmem, beatos praedicat pauperes spiritu, quod eorum sit regnum coeleste Matth. V. 3. non quidem futuram aeternae vitae felicitatem his verbis assignare iis voluit, sed hoc discipulos docere, humiles, omnis expertes superbiae, eos esse, qui in primis religionis suae prosperae et salutaris fructus percipere queant. Alio loco Matth. VII. 21. asserit, non omnes, qui blandis eum verbis, Domine, domine, alloqueantur, in coeleste regnum esse intraturos, hoc est, non eos, qui ore tantum eum do-

A 3

minum

¹⁾ Ita תלהא Cantic. IV. 14. a LXX. effertur ελωι: rel.

minum suum profiteantur, veros suae religionis asseclas esse, sed tantum eos, qui patris sui voluntati obediant. Quae Iudaeis minatur his verbis, " Sic habetote, multos ab oriente " et occidente venturos, qui cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo " accumbant in regno coelesti, cum interea filii regni foras " eiicientur in tenebras, „ similitudine a coena arcessita, valent, multos ex aliis nationibus convenas felicitatis illius regni Messiani, Abrahamo, Isaaco et Jacobo polliciti participes futuros, et contra plurimos ex horum posteris illa iri privatam. Neque illo Jesu eloquio Matth. XVI. 28. Marc. IX. 1. " Hoc vobis assevero, esse quosdam eorum, " qui hic adstant, qui non prius mortem gustabunt, quam " videant filium hominis venientem in regno suo, „ de alio quam de illo regno Messiano agi puto, ut sensus sit, quosdam eorum qui tum praesentes essent, magnum religionis Jesu incrementum & inter exteras etiam gentes propagationem esse visuros ²⁾. Denique mihi occurrit locus Matth. XIX. 23. 24. Marci X. 23. quo Jesus facilius esse dicit, camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei intrare. Misere in his verbis explicandis torquentur interpretes, qui regno Dei vim aeternae felicitatis subiectam esse

²⁾ Fundationem huius religionis omnes videbant: sed non ita in exteras gentes propagationem. In antecedentibus Matth. XVI. 27 agitur de adventu Jesu ad iudicium, sed cum illis haec quae sequuntur non sunt connectenda; neque connectuntur

Marci IX. 1. Interpretatio de propagatione regni Messiani confirmatur verbis Marci *εληλυθειαν εν δυναμει*, ubi particula *εν* instar \beth Hebr. & Syr. non valet *in* sed *cum*. Noldii concordantiae n. 10. de \beth .

esse putant. Plana sunt omnia, si de regno Messiano, de religione Jesu explicantur, ratione in primis habita illius temporis, quo haec enunciabantur. Totidem omnino illecebris attrahuntur et ab assequenda felicitate aeterna impediuntur et dives et pauper. Sed religionem Jesu eo tempore publice profiteri, quo opum omnium iactura et vitae etiam periculum certissima ejus asseclarum fors futura erat: hoc diviti non potuit non esse difficillimum. Quid multa? Felicitas futurae vitae diligenter a sacris scriptoribus ab illa βασιλεια των ουρανων distinguitur, et ubique verbis Ζωη αιωνιος indicatur. Matth. XIX. 16. XIX. 29. Marci X. 17. X. 37. al. Itaque βασιλειαν των ουρανων formulam fuisse statuo, Judaeis frequentem, et in sermone eorum vernaculo, qui Syriacus fuit, usitatam, quae inde in graecum fideliter translata fuerit. Id quod eo etiam confirmari videtur, quod Marcus, qui non Judaeis sed exteris harum formularum ignaris Evangelium suum tradidit, eandem ubique in planiorem βασιλειαν του θεου commutaverit³⁾.

Nescio, an huc referenda sit alia formula, in libris sacris celebris ο υιος του ανθρωπου. Saepius animus mihi subiciit, eam Syrorum esse ܐܢܝܢ h. e. *filius hominis*, quo verbo quemcumque hominem indicant, Jesum autem κατ' εξοχην vocatum fuisse *hominem*. Quin semel Matth. XII. 8. Marci II. 28. non Jesus, sed singuli homines hac voce indicari videntur, *Sabbati dominus est homo*, qua ratione haec verba

³⁾ Confer quae de illa phrasi a *Verbum regni* Matth. XIII. 19. 20. Thalmudistis etiam usitata habet Ligt- *est nova Jesu doctrina.* foot in horis hebr. ad Matth. III. 2. "

verba respondent antecedentibus ” heic magis est templo quae a Marco recte explicantur, sabbatum propter hominem factum esse, non vero hominem propter sabbatum. Si lingua Syriaca scripsit Matthaeus, dicerem, haec verba ab interprete graeco temere fuisse conversa.

Certius est, sequentes dicendi formas, *απο της ωρας εκεινης* et *εν εκεινη τη ωρα* peregrinae esse originis. Persuasum est interpretibus, utramque idem plerumque valere ac Graecorum *ευθως*, Hellenistarum *ευθως* h. e. statim, confestim. Matth. VIII. 13. IX. 22. XV. 28. XVII. 18. rel. Quos insolitos loquendi modos, Syrorum esse conicio verba *ܫܘܠܗܘܢ* vel *ܫܘܠܗܘܢ*, quae ad verbum quidem valent, in eadem hora, vel, ab ea hora, sed semper interpretanda sunt, confestim. Quamobrem Syriacus vetus interpretes, quoties *ευθως* legitur in graeco Evangelio, Syriace scripsit *ܫܘܠܗܘܢ* Matth. XXVI. 47. XXVII. 45. Marci I. 42. cet. vel *ܫܘܠܗܘܢ* Marci II. 12. rel. His exemplis constat, graecum auctorem hoc loco Syriacam consuetudinem esse secutum, vel e Syriaco in graecum transtulisse.

Neque aliter se habent voces *κρητις* & *οδος* Matth. XII. 18. XXI. 32. ex usu orientalium linguarum interpretandae. Orientis enim nationes his verbis veram religionem exprimunt, quod vel trito illo Corani enunciato in nummis Arabicis frequenti comprobetur *محمد رسول الله لرسالة بالهدى ودين* *Mubammed est Dei legatus, quem cum recta via* *و* *iusto iudicio* h. e. *cum vera religione misit,* quae

quae ceteris omnibus praestaret. Sura IX. 33. et LXI. 9. Eodem modo verba a Matthaeo laudata *κριστιν τοις εθνεσιν απαγγελει* interpretanda sunt, *veram gentibus tradet religionem*; & quae alio loco dicit Jesus c. XXI. 32. *ηλθε προς υμας Ιωαννης εν οδω δικαιοσυνης* intelligenda hoc modo, *venit ad vos Joannes cum verae religionis institutione.*

Sed obiici forte mihi potest, illud puritati sermonis non obesse, quod verba quaedam reperiantur, quae res exprimant Graecis ignotas alioque adeo quam Graeci solent sensu dicantur. Si de *βασιλεια των ουρανων* aliisque huius generis haec accipi quidem possent, de ceteris non possunt, quae res exprimunt eas, de quibus etiam Graeci vulgo locuti sunt.

Ad alia progredimur exempla, eaque impeditiora, quae ad sententiam nostram confirmandam faciunt.

Sollemnis illa Jesu ad discipulos oratio Matth. V. VI. VII. lingua vulgari Syriaca omnino habita fuit, et ubique etiam vernaculi sermonis vestigia reliquit. Prima, quibus incipit verba, huius linguae genium referunt, *μακαριοι οι πτωχοι τω πνευματι, οτι αυτων εστιν η βασιλεια των ουρανων*, quibus asseverat Jesus, primam omnium eorum virtutem, qui regni Messiani felicitate frui cupiant, et sapientiam primam esse debere, animo esse submissum. Idem linguae genium per totam orationem animadvertitur, atque ultima fere verba ex eodem sunt explicanda, c. VII. 22. 23. *δυναμεις πολλας εποησαμεν — ουδεποτε εγνω υμας αλ.* Legas eam Syriace, si verum sensum vimque verborum percipere et usum loquendi recte cognoscere velis.

B

Ad

Ad verbum e Syriacis conversa videntur, quae legis Matth. IX. 16. *αιρει* (vel *αιρθη*) *γαρ το πληρωμα αυτου απο του ιματιου*, quae graece vix, ac ne vix quidem explicari possunt. Syri autem, qui geminare solent pronomina, bene dicunt *ܐܘܪܝܘܨܝܐ ܣܝܠܘܘܬܐ* plenitudinem eius vestis huius h. e. plenitudinem vestis illius, vel integram vestem. " Nemo, inquit " Jesus, adhibet recentis panni assumentum veteri vesti " *ܡܝܢܐܘܐ*, auferret enim (illud supplementum) vel stringeret " totam vestem, atque inde deterior fieret ruptura. " Con-
sentit cum hac interpretatione Marcus, qui paullo aliter dicit, (Marci II. 21.) *αιρει το πληρωμα αυτου* " auferret eam integram " additis explicationis causa, *το καινον του παλαιου* " recens nimi-
" rum supplementum stringendo dirumperet plenitudinem " veteris, vel totam veterem vestem. "

Matth. IX. 21. 22. *σωθησομαι* — *σεσωκε* — *εσωθη* eodem sensu hoc loco usurpantur, quo Syrorum *ܣܘܘܐ*, quod verbum alibi valet, *vivere, salvum esse*, sed si dicitur de aegroto *ܣܘܘܐ ܥܠ ܥܘܠܡܐ* *convalescere ex morbo*.

Insolens dicendi modus *ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ* — — *ὁμολογήσω καὶ ἐν ἐμῷ* Matth. X. 32. non explicari bene nisi ex Syriacis potest. Dicunt enim Syri, *ܥܘܕ ܘܕܘܐ* quae ad verbum hic in graecum translata videntur ⁴⁾.

Ob-

4) Duplicem vim habet Syrorum *ܥܘܕ* valet, *confessus est* Marci I. 5. Eo-
ܘܕܘܐ. Si construitur cum Lomad dem modo verbum oppositum *ܥܘܕ*
praefixo vel accusativo personae, in- *renegavit* construitur cum Bet, e. c.
interpretandum est, *gratias egit* Matth. *ܥܘܕ ܘܕܘܐ ܕܡܝܚܐܝܠ* Michaelis
XI. 25. Si autem cum Bet ut h. l. Chrestom. Syr. p. 28.

Obscura sunt illa Matth. XI. 12. ἡ βασιλεια των ουρανων
 βιαζεται, και βιασαι αρπαξουσιν αυτην, nisi ex eadem dialecto lux
 iis accedat. Regnum coeleste regnum esse Messianum, supra
 ostendimus. Hoc Messiae regnum βιαζεται cogitur h. e.
 summa vi contendunt, civitate eius donari. Syr. ܒܝܐܘܪܐ
 ܕܡܫܝܚܐ Quae sequuntur, temere forte ex Aramaeo graece
 conversa, ut mihi quidem videtur, non interpretanda sunt
 " violentes rapiunt illud " sed, " rapiunt illud violenter " ad-
 iectivo adhibito loco participii βιαζοντες, ita ut uterque di-
 cendi modus βιαζεται et βιασαι αρπαξουσιν αυτην eandem expri-
 mant sententiam. Docet enim Jesus, generis humani con-
 ditionem eam fuisse, ut gradatim et lente divinarum rerum
 scientia imbueretur; Joannem priores prophetas pericia
 tanto praestitisse, quanto unusquisque discipulorum eius
 oeconomiae divinae cognitione illum itidem sit superaturus.
 Neque hoc mirum. Jam enim regnum Messianum mire au-
 geri, hominesque verum Dei cultum, relictis tenebris,
 strenue amplecti incepisse.

Matth. XIII. 23. ὁ δὲ καρποφορεῖ καὶ ποιεῖ [scil. καρπὸν]
 Syriaea sunt ܒܝܐܘܪܐ ܕܡܫܝܚܐ Graeci enim non dicunt ποιεῖν
 καρπὸν et multo minus ποιεῖν omisso verbo καρπὸν, hoc sensu,
ferre fractum. Ad verbum graece versa sunt.

Matth. XIV. 15. et 23. bis legitur οψίας δε γενομένης.
 Dubito, quin ita scripserit Matthaeus, cum eodem temporis
 momento utraque res narrata geri non potuerit. Interpres
 forte in culpa est, qui archetypi sensum hoc loco minus bene
 expressit. Debeo hanc animadversionem Syro interpreti,

venenatum, quod moribundo tradat ebibendum; eadem fere ratione, qua aliae gentes ei tribuunt venenatam sagittam, cultrum, falcem. In sermonem vulgarem abiit haec imaginatio. S. Efremus in commentario in Genesin Lamechum inducit dicentem, "Moriemur et ebibendo mortis poculo" *موتنا* effugiemus periculum imminens. Et "Arabs quidam Poëta mortem describit hoc modo, *سقينا* "Exhauriendum dedimus Hudeilitis poculum mortis" *كاس حنك هديلا* 7). Quibus a Michaële observatis pauca addamus, quae sententiam eius confirmant. Plurima eorum verborum, quibus agonem mortis exprimunt Arabes, ex eadem similitudine oriunda, bibendi atque exhauriendi vim habent. *موت* *extremus vitae spiritus* derivat a radice *موت* quae in coniugatione quinta, Golio interprete, valet, *paulatim saepiusque sorbendo hausit*. *نزع* *hausit aquam*, item, *animam egit*. *سمر* *agon mortis*, et *عمر* *aquae copia* *عمر* *ebrius*. In primis formula *سكرت الموت* de deliquio et angustia moribundi usurpatur, quae ad verbum interpretaretur, *ebrietas*, vel *potio inebrians mortis*. Efficitur ex hoc linguae Arabicae usu, illum loquendi modum non e sacris libris petiitum et forte translatum esse in Christianorum scripta, id quod aliis saepe phrasibus accidit, sed orientis peculiarem esse atque nativum. Superest, ut explicemus verba Jesu moribundi Matth. XXVI. 39. *παρελθετο απ' εμου το ποτηριον τουτο*. Qui loquendi usus ex *εγκυκλοποσια* antiquorum rectissime forte explicetur. Solebat enim, qui convivio praeerat,

B 3

prae-

7) Michaëlis Arabische Chrestomatie p. 77.

praegrandem calicem sollemni ritu proxime accumbenti tradere, hic sequenti, atque sic deinceps in orbem ex eodem calice bibebatur. In convivio apud Plautum, cum Argyrippus potum postularet, respondit Demaenetus pater (Afinaria act. V. Sc. II. v. 41) Da, puere, ab summo h. e. ab summo conviva ad imum. Ita fere Anacreon, ἀγε δὴ φερέ' ἡμῖν, ὦ παῖ, κελεβὴν ὅπως ἀμυστῖν προπιῶ⁸⁾. Et inter Arabes Jezid Moaviae filius, poëta, ادركاسا وناولها الا يا ايها السائي " Age, circumfer poculum, pocillator, et propina „⁹⁾. Qui autem bibere recusarent, usos fuisse arbitror hoc verbo, *Transseat!* Mors igitur, cui poculum letale tribuebant, illud circumferre dicebatur apud mortales, et inde est, quod dicit Jesus moribundus, *Transseat a me hoc poculum!* Quae rectissime explicantur a Marco *ἵνα παρελθῆ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὠρα* Marc. XIV. 35.

Nomina quoque dierum septidui, in quibus plurimi interpretum haesitarunt, ex Syriacis facile intelligantur. *Παρασκευη* Matth. XXVII. 62. al. non est, ut vulgo statuitur, dies qui sollemnem aliquem festumque diem antecedit, sed instar nominis Syrorum *ܝܘܡܝܢ* de singulis diebus Veneris usurpatur. Cum enim dies Veneris apud Judaeos est *προσαββατον* vel dies, quo ad sabbatum celebrandum se praeparant, hanc ob causam ab illis Syriace nominatus fuit *ܝܘܡܝܢ* *παρασκευη*, *praeparatio*. — Quae sequuntur in Evangelio

⁸⁾ vide plura observata ab Alexio Symm. Mazochio in spicilegio bibli-co. Neapoli 1762. Tom. III. p. 51. 52.

⁹⁾ Imitatur eum Hafiz, Poëta Persa, in prima ode. v. Haphyzi ghazelae sive odae sexdecim. Vinboba-nae 1771. p. 49. 50.

gelio Matthaei XXVIII. I. *οψε σαββατων τη επιφωσκουση εις μιαν σαββατων* non intelligi nisi ex Syriaco sermone possunt, e quo ad verbum sunt translata. Syri interpretantur hoc modo,

Simplex. *ܠܘܨܐܘܬܐ ܕܢܗܘܪܐ ܕܥܘܠܘܬܐ ܕܥܘܠܘܬܐ*

Philoxeniana. *ܠܘܨܐܘܬܐ ܕܢܗܘܪܐ ܕܥܘܠܘܬܐ ܕܥܘܠܘܬܐ*

Hierosolym. *ܠܘܨܐܘܬܐ ܕܢܗܘܪܐ ܕܥܘܠܘܬܐ ܕܥܘܠܘܬܐ*

Primum *οψε* recte vertitur *ܠܘܨܐܘܬܐ* vesperi: hunc enim verum eius sensum esse patet ex Marco XIII. 35. ubi opponitur voci *πρωι*. De ambiguitate, in qua haec vox hoc loco versatur, optime egit ill. Michaëlis ¹⁰⁾ qui verba *οψε σαββατων* antecedenti capiti annectenda esse suspicatur: equidem *vespere* pro *nocte* temere scriptum fuisse putarem. *Σαββᾱτα* sabbatum aequae ac hebdomadem exprimunt: ideoque non absurda est forma dicendi *οψε σαββᾱτων* h. e. *vespere sabbati*, pro quo tamen alii codices, nescio an rectius, habent *οψε σαββᾱτων*. Difficiliora sunt, quae sequuntur *τη επιφωσκουση εις μιαν σαββᾱτων*. A LXX etiam interpretibus usurpatur verbum *μια* loco *πρωτη*, ex indole Syriacae linguae: *ܠܘܨܐܘܬܐ* Syris enim est dies solis, primus septidui, similique modo appellatus fuit a Iudaeis graece loquentibus, qui Veneris quoque diem ut Syri *παρισκευην* nominabant. *Επιφωσκειν* autem more Syrorum dici de diluculo diem antecedente, observatum est ab ill. Michaëlis ¹¹⁾, et confirmatum auctoritate Gregorii Barhebraei, qui in chronico suo scribit hoc modo, *ܠܘܨܐܘܬܐ ܕܢܗܘܪܐ ܕܥܘܠܘܬܐ ܕܥܘܠܘܬܐ ܕܥܘܠܘܬܐ* "nocte feriae secundae, quae in diluculum sol-

" lemnis

¹⁰⁾ Begräbnisgeschichte Jesu. ¹¹⁾ Einleitung ins N. T. 4to. Th. S. 3.

" lemnis diei ieiunii illucescit. ^a Eodem omnino modo Matthaeus " vespera (mallem, nocte) sabbati, quae in feriam " primam illucescit. ^a Neque tamen inaudita fuit illius temporis hominibus haec forma dicendi a Syris arcessita: reperitur enim in scriptis patrum ecclesiae et in titulis sepulcrorum. Titulus celebris, qui S. Caesariae epitaphium vulgo vocatur, ex anno Chr. 587 superstes, incipit his verbis, " Obiit bonae memoriae Caesaria *medium noctis, die dominica inlucescente* ¹²). ^a Epiphanius etiam verbo *επιφωσκειν* eodem sensu utitur, quo Matthaeus, in expositione fidei catholicae cap. XXII. [edit. Petavii, Coloniae 1682. T. I. p. 1105.] *Εν τισι δε τοποις την (νυκτα) μετα την πεμπτην αγγεπνουσιν, επιφωσκουσιν εις το προσαββατον.* " in quibusdam locis vigiliis " peragunt noctem, feriam quintam subsequentem, cui dies " Saturni illucescit. ^a Itaque *νοχ επιφωσκουση εις μιαν σαββατων* est diluculum diei solis, et convenit Matthaeus cum Marco, qui c. XVI. I. *διαγενομενυ του σαββατου εχαετο die Saturni* haec accidisse narrat, et Luca XXIV. I. *τη μια των σαββατων ορθρου βαθρου*, die solis, summo mane.

Non

¹²) Aliud epigramma, idque antiquius, anno 364 insculptum, refertur a Francisco Blanchino

PVER NATVS.

DIVO IOVIANO AVG. ET
VARRONIANO COSS.

HORA NOCTIS IIII

QVAE INLVXIT VIII IDVS MADIAS rel.

cf. Mazochii spicilegium biblicum Tom. III. p. 63. 64.

Non alienum esse videtur, hoc loco animadvertere, quantum, quae de dierum nominibus adhuc dicta sunt, ad illustrandam historiam Jesu conferant. Multi enim nostratum nomina illa confundentes vel temere exponentes, Jesum passatis sollemnitate uno die anticipasse existimant. Sed quae quaeso ratio subesse potuit, cur Jesus, in cerimoniis Judaicis observandis ceterum non nimis studiosus, Passatis celebrationem ob mortem instantem antevertere voluerit? Atque ne rite quidem celebrasset, cum nefas haberetur a populo, Passa non iusto suo tempore maetare eoque vesci. Videamus, quae de hac Jesu coena referant scriptores sacri. Matthaeus discipulos Jesum convenisse ait *τη πρώτη των αζυμων*, ut quo loco coenam passalem parari sibi vellet, ostenderet. C. XXVI. 17. *την πρώτην των αζυμων* hoc loco diem Passatis indicare, festum azymorum antecedentem, comprobatur testimonio Marci, qui addit *ότε το πασχα εθουον* (Marci XIV. 12). Praeparatio autem passatis in eo consistebat, ut agnum emerent, maetarent in templo, intestina immolarent, carnem abducerent domum, convivium instruerent. Addit Evangelista, eodem vespere venisse Jesum et cum discipulis suis ad epulandum accubuisse v. 20. Haec facta die XIV mensis Nisan, qui hoc anno in diem Jovis incidit. Eadem nocte apprehensus ad iudices circumferebatur Jesus, qui *πρωιας γενομενης* c. XXVII. 1. mane die Veneris de supplicio eius consilium inibant. Mortem subibat, vespere sepelibatur. XXVIII. 57. Cum Matthaeo ad amuffim convenit Marcus c. XIV. 12. 17. XV. 1. 42. XVI. 1. 2.

Recte quoque animadvertit Lucas, Jesum eo azymorum die ¹³⁾, quo maclandus esset agnus passalis, discipulos paratum dimisisse c. XXII. 7. tum, cum iusta venisset hora, ad epulum se contulisse v. 14. 15. Sequenti die Veneris (παρασκευη c. XXIII. 54) eum cruci fuisse affixum atque sepultum vespere. Efficitur ex unanimi horum auctorum consensu, Jesum eodem die, quo reliqui Judaei hunc sollemnem Passatis ritum peregrisse, postero mortem subiturus. Superest difficultas in historia Joannea, qua illorum de anticipo passate sententia adiuuari videtur. Sed videtur tantum. Si enim, ut paucis rem attingamus, παρασκευη dicebatur dies Veneris, et nomen πασχα generatim tribuebatur singulis huius sollemnitatis diebus ¹⁴⁾: animadvertimus, tum Judaeos non inde argumentum arcessere, cur ad palatium praetoris Romani propius accedere recusarent, quod ipsis passate vescendum esset, (hoc enim vespere antecedente iam erat factum) sed ne ab immolandis reliquis huius sollemnitatis sacrificiis voluntariis, eucharisticis cet. prohiberentur, quae omnia hac formula paullulum obscura φαγειν το πασχα comprehendit Joannes, tum etiam παρασκευη του πασχα c. XIX. 14. diem Veneris dici, qui in azymorum sollemnitate incidere. Tenendum

¹³⁾ Antiquitus solus dies XIV mensis Nisan, quo maclabant agni, nominabatur *Passa* פסח, sollemnitas autem 7 dierum, quae sequebatur, *festum azymorum*. Deinceps autem omnes hos dies festos utroque nomine, Passate vel festo azymorum generatim comprehendere coeperunt, diemque Passatis primum azymorum vel primum passatis nominare.

¹⁴⁾ vide adnot. 13.

nendum igitur, Jesum iusto tempore, hoc est, eodem cum Judaeis vespere ultimum Passa celebraffe, et postridie in crucem esse suffixum, non quidem a Judaeis, quibus sollemnis erat dies atque insolitum supplicium, sed a militibus Romanis.

Sed haec incidenter. Redeamus ad propositum nostrum. Quae adhuc laudata sunt Matthaei enunciata a puritate graeci sermonis aliena, syriacam consuetudinem ita imitantur, ut utraque eruditorum sententia, vel *pure graecam* esse orationem, vel ad *hebraicae* linguae rationem factam, sine dubitatione negata, *Syrorum* potius consuetudinem secutum fuisse Matthaeum defendamus. Nec modo in singulis verbis ac phrasibus hanc cum Syriacis conformitatem animadvertimus, sed etiam universam formam orationis ita esse Syriacam, ut ad verbum ex Syriaco vel Aramaeo versum videri possit Evangelium Matthaei. Quam sententiam adiuvant sane non pauca. Primum enim patres ecclesiae et antiquitatis scriptores tantum non omnes in eo consentiunt, hebraice scripsisse Matthaeum. Hoc autem verbo non tantum eam linguam, qua vetus Testamentum conscriptum habemus, sed omnes eius dialectos, in primis chaldaicam vel syriacam exprimebant, imitati consuetudinem auctorum V. T. quibus hebraica lingua est illa, qua עבר הנהר trans Euphratem utebantur, a nobis chaldaica appellata. Exemplis proferendis haec probare supervacuum fortasse erit, cum ea ex libris ipsis peti facile possunt, et res etiam inter eruditos constat ¹⁵⁾.

C 2

Acce-

¹⁵⁾ Exempla addam ex Hieronymo. Mosaica dialecto usum fuisse Matthaeum, cui in primis innituntur ii, qui unum coniciunt. E. c. Hieron. in

Accedit, quod lingua hebraica tempore Jesu a vulgari usu iam recesserit, relicta eruditis aliisque qui cultui sacro praeessent. Matthaeus igitur sua sponte non poterat hebraice scribere, nec hebraice ad scholae legem doctus, nec omnino litteris imbutus, neque vero consentaneum est, spiritum S. inspirasse ei orationem ignotam. Et quid denique impedire eum potuit, quin biographiam Jesu, plebi Judaico maxime destinata, ea dialecto conscriberet, quae plebi vernacula esset, hoc est, Aramaea, relicto obsoleto Mosaico sermone. Itaque Matthaeum primum Syriace, vel Aramaice scripsisse historiam Jesu arbitramur, ex quo sermone deinde in graecum fuerit translata.

Pergamus ad Marcum. Quod in Matthaei Evangelio defendimus, idem etiam concedendum est Marco, eum multa, quae sunt in oratione duriora et obscura, e communi fonte Syriaco hausisse. Pauca afferremus exempla: plura superflua essent. Marci I. 4. εγενετο βαπτιστων ιουδαϊσμο: tempus imperfectum hoc modo exprimunt Syri, *baptizabat*. VI. 2. και δυναμεις τοιαυται δια των χειρων αυτου γινονται. Duplex Syriasmus. *Δυναμεις* ad indolem Syriacae vocis *ܕܢܐܘܡܝܢܐ* non potentiam hoc loco exprimit, sed portenta, miracula, quae vis Graecorum *δυναμεις* subesse non solet, et *δια των χειρων* idem quod Syrorum

Pf. 83. "Mammona, inquit, in lingua " sed hebraicis litteris scriptum est ..
 " hebraea (intellige Syram) divitiae collatis, quae dicit ad Matth. XII. 13.
 " nuncupantur. .. Idem lib. III. adv. " in Evangelio Nazarenorum, quod
 Pelag. " Evangelium iuxta hebraeos " nuper de *hebraeo* in graecum trans-
 " chaldaico quidem *syroque* sermone, " tulimus. ..

Syrorum ܡܪܝܢܐ h. e. per. IX. 12. και πως γεγραπται formula Syris usitata ܡܪܝܢܐ IX. 41. εν ονοματι, οτι χριστου εστε Syrorum ܡܪܝܢܐ h. e. " eo iure, quod Messiae " estis affectae, pro quibus alii qui e consuetudine bene graece loquentium interpretari maluere, temere posuerunt, εν ονοματι μου, οτι χριστου εστε. rel. Ceterum plurimos locos, qui sonant aliquid abhorrens a consuetudine graeca cum Matthaeo (de quo supra) communes habet Marcus, cuius semper fere vestigia premit.

Quaeritur, quaenam sit huius convenientiae ratio, quibusve de causis factum, ut Marcus, qui tamen neque Syriace neque Judaeis scribebat, eodem genere dicendi utatur Graecis alieno, quo Matthaeus? — Illud absolum, putare, Marcum descripsisse Matthaei exemplum. Ad quem quaeso usum novam Evangelii Matthaeani editionem instar recentis historiae publicasset? Consentaneum potius videtur, si aliae quidem rationes non obstant, tenere, Marci libellum ex eodem fonte, quam graecum Matthaeum processisse, hoc est ex Aramaeo Matthaei Evangelio. Non me fugit, esse nonnullos, qui negent, Marcum illius biographiam fuisse secutum, sed horum argumenta non multum ponderis et gravitatis habere mihi videntur. Primum enim inde arcessitur, quod in antiquissimis auctoribus huius sententiae nullum inveniatur vestigium; quod Papias, Irenaeus, Origenes, Hieronymus, alique multi Marco fidem ex eo faciant, quod ope Petri adiutus fuerit, ad consensum cum Matthaeo non provocent. Sed praetermissio etiam illo, quod ex silentio

auctorum argumentari tuto non liceat, auctores illi fidem facere voluerunt Evangelio Marci, non vero plenam eius historiam tradere, atque eo consilio gravior illis recte videbatur auctoritas Petri, quam consensus cum Matthaeo. — Tum etiam opponunt, tempus quo scripserit, nostrae sententiae non favere, illum pleniorum Jesu historiam in compendium redigisse. Concedimus, temporis illius morem tulisse, ut omnia quae ad vitam Jesu pertinerent, undique colligerentur, quo historia eius indes copiosior pleniorque redderetur. Marco autem aliud omnino propositum erat. Romanis, vel exteris certe nationibus scribebat, qui multis carere poterant, quae ad Judaeorum mores et sententias spectarent. Hoc consilio omittuntur a Marco Genealogia Jesu, oratio ex monte ad discipulos habita, qua Phariseorum doctrina oppugnabatur, exteris ignota, alia Jesu ad Phariseos oratio Matth. XXIII. parabolae nonnullae, et plurima V. T. enunciata, a Matthaeo more Judaeorum laudata. Quae autem ad vitam Jesu pertinent, non brevi contrahuntur, sed producuntur etiam novis quibusdam historiis insertis. — Denique obiiciunt, et stilo et ordine differre Marcum, eumque multa in Matthaeo non obvia addere, alia, quae ad Petrum in primis pertineant, omittere. Stilo differre negamus. Ubique eum consuetudinem Matthaei imitari, et saepe ad verbum etiam cum eo congruere, multis iisque perspicuis exemplis constat (e. c. IV. 1-20. coll. Matth. XIII. 1-23. it. X. 32-45. coll. Matth. XX. 17-28.

al.

al.) Non plus minusve differt dicendi modo uterque Evangelista, quam differunt duo interpretes, qui eundem librum ad easdem leges in suum sermonem transferunt. Ordinem eundem servat Marcus, excepto initio Evangelii (I. 40. f. II. 23--27. IV. 35. ad V. 43. et VI. 7--13.) ubi forte Matthaeum in connectendis historiis negligentiore animadvertat. Quae autem adduntur in Matthaeo non obvia, ex ore Petri forte calamo excepta sunt: alia in gratiam exterorum addenda erant, ut plana, quantum fieri posset, iis essent omnia. Ad haec pertinent explicatio moris Judaici, lavandi manus ante coenam c. VII. 3. 4. interpretatio verborum κοιναις χειρσι et κορβαν ibid. v. 2. 11. commutatio formulae βασιλεια των ουρανων in clariorem βασιλεια του θεου, et nominis Cananaeae in usitatius apud exteris nomen Phoeniciam conversio. c. VII. 26. Neque etiam ommissa quae ad Petrum pertinent dubium inlicere possunt, si Petro duce scripsit Marcus. — Offendit forte eruditos mos dicendi, *Epitomatores* fuisse Marcum, quia huic verbo vis plagii subesse videtur, id quod indignum sacro scriptori haberetur. Sed in verbis sumus faciles. Illud tamen manifestum, fieri non potuisse, ut plerumque ad verbum sequatur Matthaeum, nisi ante oculos semper habuisset huius Evangelium, quod cum Aramaice conscriptum fuerit, Aramaeam etiam vel Syriacam consuetudinem imitatum esse Marcum.

Sed

Sed qui fieri potuit, si Syriace scriptum fuit Evangelium Matthaei, ut saepe ad verbum consentiat cum graeco nostro Matthaeo? Quod certe casu non accidit, neque accidere potuit, si uterque sine alterius ope Evangelium Syriacum in Graecum transtulit. — Illud tantum, nisi omnia me fallunt, ex hoc argumento effici potest, vel Marcum non habuisse archetypon Matthaei, sed graecam ex aramaeo interpretationem, quam fideliter descripserit, vel etiam graecum Matthaei interpretem Marci Evangelium quoad fieri potuerit in verbis verborumque nexu fuisse secutum. Verum enim vero, cum illud, ut supra diximus, vix consentaneum videatur, atque insuper Marciana historia eadem versionis vestigia relinquat, quam Matthaeanam, et denique ambiguum sit, utrum Marci tempore iam edita fuerit versio graeca Evangelii Matthaei; nosmet ab altera sententia stare non dubitamus.

Itaque sic tenemus, Matthaeanam Jesu historiam origine Syriace, vel si placet Aramaice scriptam fuisse. Quaecum ab exteris sine difficultate legi atque intelligi non potuerit, Marcum graece eam transtulisse, omissis iis, quae ad Judaeos tantum spectarent, aliisque paucis ope Petri additis, ubique servato charactere archetypi Syriaci. Tum denique alium quendam pleniorum Matthaei librum in usum Judaeorum Graecorum vel Hellenistarum graece convertisse, eadem interpretationis lege observata, et Marci interpretatione

tionē antiquiori eaque apostolica auctoritate probata, quantum fieri potuerit, ubique imitata. Quae sententia licet firmis et certis rationibus probari non possit, a vero tamen haud absimilis videtur.

Sed ne diutius vos detineam, commilitones, linquam illas disquisitiones, ingeniosiores forte quam utiles, et ad illa me convertam, quorum causa haec omnia praefata a me sunt. — Accipite igitur, quae hoc tempore, in quibus huius anni studiorum curriculum conficerem, elegi.

Primum in interpretandis libris veteris Testamenti hebraicis eo loco ubi substitimus pergemus, eadem interpretandi lege servata, qua Pentateuchum anno praeterito explicavimus.

Syriaca schola hoc anno vacabit. Cuius loco Arabicae linguae, si placet, praecepta tradentur, quibus absolutis, vel Coranum, si exemplorum copia adsit, vel Chrestomathiam arabicam ill. Michaëlis interpretari aggrediemur. Absolvetur hic cursus interpretatione cuiusdam veteris Testamenti libelli, qua quantum conferat lingua arabica ad sensum verborum recte intelligendum, monstrabitur.

Praeterea artis criticae veteris Testamenti fundamenta provecioribus explicabuntur. Praemissa brevi eiusdem historia, praecipua praecepta attingentur, omnia perspicuis exemplis ex ipsis V. T. libris eligendis illustrabuntur.

Equidem non parcam labori, ut quantum conficere potero tantum conferam ad ingenia vestra hoc disciplinarum genere excolenda: vos autem diligentia et assiduitate vestra industriam meam adiuuate, sublevate, ornate. Deus O. M. annuat studiis nostris!

Valete.



D Jc 1925

ULB Halle

3/1

001 335 316



